



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XXII. De ampliſſimo, & summo dominii jure, quod Deus in omnes
creatas res obtinet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

bulæ ipsius mentis aciem prorsus excæcârunt, fieri non poterit, quin sibi omnino displiceat, & coram Conditore suo sese hūmi pronam abjiciens, fateatur, extrema quæque humana- rum virium molimina nihil ampliùs præ omnipotentia illius esse, quàm imperfectos, ac debiles ægrotantium conatus. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia. Tua est magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria. In manu tua virtus & potentia.* (Exod. c. 15. Lib. 1. Paral. c. 29.)

CAPUT XXII.

De amplissimo, & summo domini jure, quod DEUS in omnes creatas res obtinet.

Ingens dominium ab ingenti potentia nunquam disjungitur, ratione facultatis, quam sese obtinentibus præbet exequendis, si minùs suis, at saltèm aliorum manibus, quod in animo habent. Et quamvis hoc genus potentia utpote minùs operantis proprium, minùs etiam eximium altero sit, quo is magna per se ipsum

ipsum efficit : ceu Homerus expressit , Agamemnonem Græcorum in Trojano bello Imperatorem Diomedis ore sic alloquens. (*Iliad.* L. 9.) *Tibi quidem Jupiter dedit sceptro honorari supra omnes : fortitudinem autem non dedit, quæ potentia est maxima ; plurimi tamen ipsum etiam ab hominibus fit, & summo votorum ambitu quæritur : tum quia jucundum cuique naturaliter est, potestatem super alios obtinere, multosque è suo nutu, atque arbitrio pendentes videre ; tum quia hoc externæ genis potentiæ penè unicum est, ubi multum excellere humana imbecillitas queat : nemine uno inter homines existente, tam prodigiosi roboris, ut solus, & suis duntaxat viribus tantundem efficere valeat, quantum vel exiguissimæ conditionis princeps subjeutorum sibi operâ & manibus. Unde fit, ut vulgus mortalium, cui externam solummodo rerum speciem intueri mos est, vix alias agnoscat, quàm hujusmodi vires : nec alios appellare potentes soleat, quàm, qui divitiis, imperioque excellent : quatenus hi per servos, & conductas mercede operas, multa possunt præstare, quæ exiguum, & singulare unius hominis robur excedant. Quemadmodum etiam hinc oritur vanissimus ille animi tumor, quem, ob sui*

fui imperii amplitudinem, fuorúmque exercituum vim, magni quidam Principes solent concipere, non modò sese ideò jaçtantes, instar illius Médorum Regis, qui in sacra Judith historia, (c. I.) *Gloriabatur, quasi potens in potentia exercitús sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Verùm etiam altius sibi aliquid tribuentes, quàm humana ferat conditio, & ad Alexandri Macedonis, & Nabuchodonosoris exemplum, divinis honoribus coli affectant. Cùm itaque jam fatís demonstratum à nobis sit, quàm infinitè in primo illo potentix effectricis genere creatis quibusque causis DEUS antecellat, dictus ideo ab Apostolo, (1. ad Tim. c. 6.) *Solus potens;* demonstrandum jam est, quàm incomparabili exuperantiâ in altero hoc etiam potentix Dominatricis genere terrenis quibusque Regibus præstet: dignus ideò audire, ceu ab Ecclesia inter sacrificandum nuncupatur, *solus Dominus, solus Altissimus.*

2. Duo sunt apud Jurisconsultos dominií genera: Jurisdictionis unum, quale est Principis in sibi subjectos: alterum proprietatis, quale uniuscujusque in suum jumentum, in suam domum, & in quamcunque aliam rerum suarum. Primum consistit in potestate regendi eos, qui sub ditione sua sunt, per imperia,

at-

atque leges, quibus obtemperare ipsos æquum fit, & si secus faxint, congruentes pœnas persolvere. Secundum, in jure utendi ad arbitrium re possessa: eam nimirum donando, vendendo, absumendo, & quidquid aliud placuerit, de ea statuendo: ita ut nemo justè queri de talibus usibus possit, aut possessor ullam reddere eorum causam cogatur, præter hanc unam, *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* (*Juv. sat. 6.*) Cuinam igitur alteri, si hoc, si illud ex prædictis duobus dominis adeò unquam amplum, adeò plenum, adeoque in natura sua insitum obtigit, uti ambo in res omnes creatas summus earum Conditor, & Dominus obtinet?

3. Si primum attendamus, hoc sanè illi convenit super quaslibet rationales substantias, ab infinis usque ad supremas: adeò ut non minus subjecti illius jurisdictioni sint immortales cæli spiritus, quàm mortales terrestres hujus mundi incolæ, aut inter hos summi populorum Rectores, quàm abjectissimæ manipiorum, & mendicabulorum quisquilia. Quamobrem ab Apostolo nominatur, (*I. ad Tim. c. 6.*) *Rex Regum, & Dominus dominantium:* & David Angelos vocat, (*Ps. 102.*) *Ministros ejus, qui faciunt voluntatem ejus:* quemad-

modum itè alio in loco dicit, (L. I. Paral. c. 29.) *Tu es super omnes Principes, In manu tua magnitudo, & imperium omnium.* Neque solum hæc DEI jurisdictionis ad omnes tum homines, cum Angelos pertinet; sed omne etiam legum, ac præceptorum genus complectitur. Cum nulla fit tam ordinaria, & indifferens actio, quam ille nequeat seu vetare, seu præscribere, cum quovis obligationis nexu ipsi libitum fuerit. Siquidem ejus voluntas omnis recti norma est: cui proin quæcunque inferior voluntas vel ultro se submittat jubenti, necesse est, vel in vita punienti, & vindicanti subiaceat. Quapropter 18. & 19. Levitici capite, complura ipse imperans, à populo Israelis servanda, eorum promulgationi hanc ferè vigesies interferit formulam; *Ego Dominus: omnia demum, quæ antea imperarat, sic concludens: Custodite omnia præcepta mea, & universa judicia, & facite ea: ego Dominus.* Perinde quasi dicat: Ità vobis præcipio; & si causam quæritis, en illam, cuius patentem, quæque nulla desiderari potest justior: quia nempe, cum vester Dominus sim, vósque meo imperio subjecti; meum est jubere, vestrum jussa exequi: *Ego Dominus: leges meas custodite.* Imò D. Augustinus observat, nulla alia de causa, ni-

nisi suæ hujus herilis potestatis exercendæ, interdictum ab eo primis progenitoribus nostris fuisse, nè unius certæ arboris fructum gustarent. Ideoque, cùm Adamum induisset, objicientem, (*In Ps. 70.*) *Si bona est arbor, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso?* subjicit protinus divini Legislatoris responsum: *Ideo est in paradiso, quia bona est, sed nolo, tangas. Quare? quia Dominus sum, & servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus.*

4. Parum tamen amplissimæ supremi Regnatoris jurisdictioni est, subjectum sibi habere omne genus humanum, & quidquid est cælestium spirituum; extenditur etiam in cæteras res omnes creatas, licèt rationis, atque sensûs expertes: cùm nulla inter has sit, quæ illius jussis non promptissimè obediat, juxta illud Davidicum: (*Ps. 148.*) *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus:* juxtaque illud perquam validum, & convincens centurionis Evangelici argumentum, dum ex sua, quamvis privati hominis potestate supra domûs suæ famulos, & centuriæ suæ milites, rite collegit, quantò majorem supremus mundi arbiter obtineret supra corpora, eorûmque languores; sic proinde illum alloquens,

quens, (Mat. c. 8.) Domine, non sum dignus, ut
 intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, &
 sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum,
 sub potestate constitutus, habens sub me milites: &
 dico huic, vade, & vadit: veni, & venit: & ser-
 vo meo, factum hoc, & facit. Cujus potestatis, ni-
 si per se patens, nullique dubia esset, innume-
 ra afferri possent, & ex quovis desumpta mu-
 tarum rerum genere exempla: ceu ex febrī,
 quæ ad primum ejus imperium, liberam & in-
 columem Simonis socrum reliquit: (Luc. 4.)
 Imperavit febrī, & dimisit eam: ex sole, qui pro
 diverso ejus nutu vel movetur, vel subsistit:
 (Baruch. 3.) Qui emittit lumen, & vadit: &
 vocavit illud, & obedit ei cum tremore: terra, quæ
 illo aspiciente tremebunda concutitur: (Ps.
 103.) Respicit terram, & facit eam tremere. Sed
 his, aliisque omnibus prætermiſſis, duo tan-
 tum depromam, in quibus luculentior appa-
 ret illius imperii supra res sensu carentes vis
 atque efficacia. Primum extat in libro Ge-
 neseos, (c. 1.) ubi, post relata ejus imperia,
 sive aquis, ut in eundem locum confluerent;
 sive terræ, ut suos gigneret fructus; sive soli,
 atque lunæ, ut distinguerent tempora; statim
 subjungitur promptissima singulorum execu-
 tio, communi illo epiphonemate; *Et factum*
 S 6 est

est ita, & factum est ita, & factum est ita. Alterum in Euangelio videre est, per occasionem tempestatis, quæ Apostolorum cymbæ naufragium minitans, momento temporis sedata ab eo est. At quo pacto sedata? nempe vocibus, quæ à ventis & mari, non secus ac si sensu præditi essent, obedientiam exigent. Nam S. Matthæus eas imperium appellat, (c. 8.) *Imperavit ventis & mari*: Sanctus Lucas dicit, objurgantis voces fuisse, (c. 8.) *Increpavit ventum*: S. Marcus minarum nomine eas exprimit, (c. 4.) *Comminatus est vento*: qui tamen omnes in earum effectu referendo conveniunt, subdentes, tempestatem, vix editis hiis vocibus, perinde quasi supremam eas potentis auctoritatem cognosceret, extimuisse illas minas, suffusiâ verecundiâ; & pudore ad eam increpationem fuisse, eique confestim imperio esse obsecutam: *Et facta est tranquillitas*; non finè incredibile circumstantium admiratione, qui attoniti, sese mutuò respectantes, dicebant: *Quis putas est hic, quia ventis & mari imperat, & obediunt ei*. Præterquam quòd hujus suæ potestatis perpetuum habemus, & quotidie videri obvium specimen in eodem maris elemento. De quo si à Philosophis ego scitarer, unde sit, ut licet furiosissimè

simis tempestatibus sæpe commotum, nec aliter adversus terram confurgens, ac si eam obruere penitus vellet; non tamen litorum fines prætergrediatur, sed, eò appulsum, receptui canat, in se seque aversum resiliat; nequirent profectò veriùs respondere, quàm si cum D. Basilio Seleuciensi rei causam conferrent in vetus præceptum à Conditore suo mari impositum, non transeundi illos limites: (*Job. c. 38.*) *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* præceptum validius ad illud retroagendum, quàm naturalis suus impetus sit, ad porrò impellendum: adeò ut, illius quasi inscriptionem in arenis litoralibus legens, suos illico motus inhibeat, & venerabundum retro signa convereat. (*Or. I.*) *Vocem Domini litoribus inscriptam cum intuitum fuerit; curvatis fluctibus termini positorem adorat.* Adeò verum est D. Hieronymi effatum, DEI iussa pro sensu quodammodo esse substantiis, quæ suapte naturâ illo carent. *Omnes creaturæ Creatorem sentiunt, non errore Hereticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.* (*L. I. in c. 8. Matth.*)

5. Unde etiam sat idonea suppetit ratio arguendi DEUM, quando sive impedit extra-

ordinaria & altiori virtute res creatas, nè usitato suo more operentur; sive etiam ad contrarios effectus earum operâ utitur; non ideo contra earum naturam agere, ullâque vim inferre: tum quia nihil aliud est rei cuiusque natura, quàm DEI voluntas, ut talis sit: puta solis natura, quàm ut talis sit, qualem DEUS esse iussit, corpus scilicet lucidum: ac proinde, si contingat aliquando DEUM nolle, ut sol luceat; nequaquam illius natura tunc erit lucere: tum quia, secundum D. Thomæ doctrinam, (L. I. *contra Gent.* c. 100. & I. *qu.* 105. a. 6. ad I.) nullus motus, etiam innata rerum propensione contrarius, potest iure dici violentus, si à causa quapiam superiori, & habente naturalem vim eas movendi, proveniat. Ac proinde, licet quævis corpora gravia per sese, & proprio suo instinctu ad centrum ferantur; nemo tamen violentos dixerit seu mari statos undarum accessus, recessusque; sive animalibus suos hac, illac discursus: nempe quòd primos cælum excitat, cui inferiora quævis corpora, cum innatis sibi propensionibus, naturæ lege subsunt: ad alteros verò anima impellit, cui corporis regimen naturaliter convenit. Parùm igitur refert, quòd res omnes creatæ, prout sunt hoc,

vel illud peculiare ens, ad hanc, vel illam operationum speciem propendeant. Nam omnes propriæ hujus, vel illius entis propensiones, ceu communi entis creati propensioni subjectæ à natura sunt, sic tam diu solummodo permanent, quamdiu illa superior, & universalis propensio in oppositam partem non fertur. Quod ubi accidit, jam quævis substantia hujus, vel illius certæ speciei se esse obliviscitur, nec aliud meminit, nisi quod creata à DEO sit: exuensque proprios speciei suæ instinctus, unum illum retinet, qui sibi, secundum generalem creatæ rei rationem convenit, obsequendi nimirum Creatori suo instinctum. Unde fit, ut, licet peculiaris hæc substantia, exempli gratiâ ignis, gauderet, quatenus talis est, omnem sibi objectam materiam comburere; nihilominus, quatenus est DEI opus, illique ideo naturali jure subjectum, neququam comburere appetit, nisi illas materias, in quibus à DEO finitur innatam sibi vim exercere: ac propterea, si fortè ille nolit hic, aut alibi eam exerceri, mutat confessim sinè ullo renisu peculiarem suum instinctum, quidvis comburendi in generalem & potiozem alterum DEO obsequendi: imò neque illum mutat, quasi primum dimittens,

alterúmque assumens : cùm nunquam instin-
ctum habuerit , in tali circumstantia combu-
rendi ; neque unquam instinctu caruerit , in
quavis circumstantia suo authori obsequendi.
Cujus rei locuples testimonium possunt esse
leones , aliæque immanes belluæ , quæ toties ,
contra quam eorum tum feritas , tum fames
suadebat , DEUM in suis famulis , atque ami-
cis reveritæ sunt , catulorum ritu iis blandien-
tes , & à cæde eorum sibi temperantes . In qua
mansuetudine , longissimè cæteroqui ab eo-
rum ingenio , moribúsque aliena , nullam le-
guntur præsetulisse coactionis & violentiæ ,
sed hilaritatis potiùs , lætitiæque speciem ; nec
proinde contrarium naturæ suæ propensionibus
experiebantur , quod Conditoris sui im-
periis , ac voluntati erat congruens : sed ut
aliis temporibus in alia corpora favientes na-
turaliter duntaxat agebant , quia hanc ab illo
in suo exortu propensionem acceperant ; sic
parentes illius famulis , secundùm novam
propensionem ab eo sibi inditam , non pote-
rant , huic morem gerendo , naturaliter non
agere . Audiatur pro confirmatione , conclu-
sionéque dictorum S. Augustinus : qui pro
certo statuens , non aliud esse rerum creatu-
rum naturam , nisi Creatoris voluntatem ,

con-

consecutione certa indè colligit, non posse illi adversari, quod huic consentaneum est.

(L. 21. de Civ. c. 8.) *Omnia portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod DEI fit voluntate?*

Cum voluntas tanti utique Conditoris conditæ rei cujusque natura sit. Portentum itaque fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura.

Idèmq; alibi etiam confirmat his verbis: *DEUS omnium Creator naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique natura, quod ipse fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ.* (L. 26. contra Faust. c. 3.)

6. Age jam, quale, quàmque mirum, & nusquam alibi auditum hoc jurisdictionis genus videtur, cui, præter omnimodam totius rationis naturæ subjectionem, nihil est etiam brutarum, & sensu carentium rerum, quod non obtemperet, nihil, quod illud non agnoscat, & sentiat, nihil, quod instar suæ naturæ non habeat, sese illi promptissimo obsequio submittere? Quisnam inter mortales Dominos, Regesque unquam extitit, qui posset fidera, ignem, ventos, maria, tempestates, frigora, æstus, ipsosinet humores sui corporis ad sibi obediendum, & sua jussa peragenda compellere? Imò quisnam eorum unus fuit, qui

rebus hujusmodi obnoxius non esset, contraque infestam earum vim ita se tueri posset, quin sæpe invito, & nequiequam obluant molestiam exhiberent, ipsamque adeo vitam tollerent? DEI, DEI unius propria est tam universalis potestas. Ipse unus est ille Princeps, qui imperat, & prædictas omnes, tametsi irrationales, atque sensus expertes, substantias imperiis suis obsequantissimas habet: quin earum ulla possit, non dicam ejus jussa frustrare, non dicam contra illius interdictum moveri, non dicam brevissimi temporis moram exequendis illius placitis interponere; sed nec aliam propensionem, aliumque instinctum naturalem habere, præter meram ipsius voluntatem.

7. Et tamen nondum summam jurisdictionis illius prærogativam attigimus. Maximi prodigii est sua imperandi authoritate eas res, quæ sensu carent, complecti: sed multò majoris eandem authoritatem etiam in res existentiâ carentes, exercere. Atqui has etiam supremus mundi Rector quibusvis suis jussis mirè faciles, & morigeras habet. Hæ quoque, quibus nihil cogitari potest furdum magis, obsequiique minus capax, ex altissimis nihil penetrabilibus dominatricem illius vocem
per.

percipiunt : & mox ut compellari se audierint, nè momento quidem temporis interjecto, foras profiliunt, eique ad omnem nuntum paratas se exhibent : (*Baruch. 3.*) *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus, & cum iucunditate luxerunt ei, qui fecit illas.* Atque huc fortè respexit Moyfes, ubi DEUM priùs Dominum, deinde procreatorem hominum nuncupavit. (*Deut. 32.*) *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.* Qui ordo verborum, in loquendo de terrenis parentibus, præposterus haud dubiè esset, cum hi partus suos priùs generent, ac deinde possideant. At, ubi de DEO agitur, congruentissimus illius naturæ est, tanquam parentis, qui suos partus priùs possidet, quàm producat : imò neque posset illos producere, nisi antea subjectos omnino dominationi suæ haberet, cum amplissima potestate, in nihilo eos relinquendi, vel indè evocandi. Quoniam igitur ultra pertinere illius iurisdictio potest, cum non modò totum esse complectatur, sed totum etiam non esse, per immensissima nihil, & meræ possibilitatis spatia diffusum : adeò ut nullum sive Angelorum, sive hominum, sive irrationalium naturarum individuum sit, quod non priùs, quàm esset, sub illius imperio fuisset.

8. Nihil profectò cogitari, fingique animo ulterioris amplitudinis potest. Sed duo nihilominus consideranda adhuc restant immeni hujusce dominatûs præstantissima decora: alterum, quòd non extrinsecùs DEO obveniat, sed in ipsa illius essentia fundetur; alterum, quòd nullo certo temporis spatio concluditur, sed æternùm perdurat. Infitum igitur in supremi Regnatoris essentia est suum in res omnes creatas imperiũ: cùm nequaquam illud seu armorum vi occupaverit, seu per hæreditariam successionem adeptus sit, seu electorum suffragiis acceptum id referat, sed ea duntaxat naturæ lege obtineat, qua universè sancitur, ut qui cæteris omnibus sui esse præstantiã antecellit; imperii etiam autoritate debeat iisdem præesse. Unde fit, ut ratione hujus naturalis excellentiæ, & animæ supra corpus, & in anima rationi super appetitum sensibilem, & inter animantia homini supra pecudes, & in hominum genere mari supra fæminam dominatus conveniat. Ex qua inductione Aristoteles colligit, si contingat hominum quempiam sapientiã, & virtute tantùm aliis præstare, quantum corpori anima, & homo brutis animantibus præstat; nullis opus esse comitiis, aut suffragiis, ut cæterorum gubernare.

bernatio, atque regimen ei deferatur. (L. I. Pol. c. 3. L. 3. c. 9. & 12.) Nec aliter sentiebat Socrates, docens, sapientio rem semper minus sapienti imperare: hanc suam sententiam confirmans Regum exemplo, qui, ubi aliquid decernendum occurrit, sive in bellicis, sive in architectonicis, sive in alia quavis re peritiores consulunt, & ab iis regi se sinunt. Quod si quispiam objiceret, repudiari sæpe ab imprudentibus prudentioris consilia; quid tum? respondebat: non ideò minus ei subiecti sunt. Nolentes siquidem utilia præcipientem audire; justis ab eo pœnis, improspere scilicet suorum negotiorum eventu, mutantur: quemadmodum etiam, qui Principis leges servare abnuit, non idcirco ab illius dominatu se eximit: cum satis sit, posse Principem violatarum legum, & denegati obsequii ab eo pœnas repetere. Si ergo inter homines, quamvis una, & par omnium natura sit, potest tamen tanta perfectionis inæqualitas reperiri, ut ad naturale dominii jus uni super alios tribuendum sufficiat; quidni ad idem jus DEO in creata omnia vindicandum satis, superque esse debeat infinita illius naturæ perfectio, qua excellentissimis quibusque rerum creatarum incomparabiliter magis præstat, quàm

quàm homo, vel Angelus infimo cuius brutorum. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo. (Isa. c. 40.)*

9. Atque hinc derivatum alterum DEI imperio attributum à nobis decus, quòd nempe sit, ut illud Pfalter Regius vocavit, (Ps. 144.) *Regnum omnium sæculorum*, nunquam scilicet defecturum, sed immobili, æternaque stabilitate fundatum. Nam, sive jus illius obtinendi spectemus, & uti hoc non aliunde, quàm ex infinita divini esse excellentia promanat; sic non potest suo illo fonte minùs esse perpetuum, sive ejusdem possessionem intueamur, clarum est, hanc non posse à supremo Domino unquam amitti. Cùm neque ut Omnipotens eâ spoliari per alienam vim, neque ut rectissimus eam possit à sese ultro abdicare, & alteri minùs idoneo concedere. Quocirca, qualis semper fuit, talis semper, tamque plena esse perget illius dominatio supra quidquid conditarum rerum sive in terris, sive in cælo est; neque unquam hæc desinent, pro suo Rege illum agnoscere, seque illi omnino subjectas fateri: iterantes per totam porrò æternitatem illum testem obsequii sui hymnum, quem D. Joannes Evangelista ab iis eani olim audivit: *Et omnem creaturam, quæ*

in celo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. (Apoc. 5.)

10. Sed manifestiora adhuc fient duo hæc divinæ jurisdictionis decora, si alterum item consideremus dominii genus, nempe proprietatis dominium, quod & ipsum DEO plenissimum convenit supra quodvis esse à se conditum, tanquam supra rem penitus suam, neque suam uno tantum, sed triplici nomine, quod nempe illius effector, conservator, atque ultimus finis sit. Siquidem unumquodque horum nominum, nedum tota eorum collectio, absolutum in res creatas proprietatis dominium DEO tribuit; ut præter potestatem, eas ad arbitrium suum gubernandi, quovis genere præceptorum & legum; possit etiam iisdem, ceu mancipiis suis, uti, quacunque ratione ipsi libitum fuerit. Quam illius potestatem non modò sanctus Rex David palam contestatus est, sic eum alloquens: (L. I. Paral. c. 29.) *Benedictus es Domine DEUS Israël ab æterno in æternum. Cuncta enim, quæ in celo sunt, & in terra, tua sunt. In manu tua magnitudo, & imperium omnium; verum etiam superbus Nabuchodonosor, malo suo edoctus,*

agno-

agnovit, uti declarat humilis, & religiosa ejus confessio: *Regnum ejus in generationem & generationem: & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ. Et non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti? (Dan. 4.)*

II. Quod ergo ad primum Effectoris titulum attinet, pronissimum cuique est intelligere, quantum ille dominii jus in omnem rerum creatarum universitatem DEO conferat. Nam, inter proprietatis jura, quæ obineri ab hominibus quoque in rem aliquam possunt eò quòd illa seu casu repererint, seu ex alieno munere habeant, seu pecuniâ sibi comparaverint, seu præmii, ac remunerationis ergo adepti sint; nullum est certius, & clarius, quàm indè proveniens, quòd sua illam arte, operâque effecerint. Unde fit, ut quivis artificum libertatem amplissimam habeat statuendi, prout voluerit, de vasis, de libris, de stautis, deque aliis quibusvis à se elaboratis operibus, sive illa donando, sive ad hos, illòsque usus adhibendo, sive etiam destruendo: neque idcirco quisquam justam ei possit litem intendere, aut ipse aliam opus habeat eorum causam reddere, nisi unam hanc, Dominus sum:

sum : opus meo labore est effectum , meique
adeò juris. Quidquid de illo statuam , de re
statuo , non alienâ , sed meâ. (*Ad Rom. 9.*)
Numquid dicit figmentum ei , qui se finxit : Quid
me fecisti sic ? An non habet figulus luti ex eadem
massa facere aliud quidem vas in honorem , aliud
verò in contumeliam ? Quæ potestas , si cuius
artifici in suæ artis effecta conceditur , quam-
vis ipse nulla ex parte naturale illis esse , sed
externam tantum speciem tribuerit ; quantò
potiori jure supremo universitatis Effectori
concedenda est in res omnes creatas : cum nul-
lum hæc prorsus esse habeant , quod ab eo non
acceperint ? (*Jerem. 18.*) Numquid sicut figu-
lus iste , non potero vobis facere , domus Israël ? ait
Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli , sic
vos in manu mea. Certè , si sculptor statuam ,
è ligno à se effectam , comburat , aliquam hæc
videtur habere causam de illo , prout merè ar-
tifex illius est , conquerendi , cur , inquires ,
naturâ ligni me exuis , quæ nullo modo à te
impertita mihi est , & secundum quam tuum
opus non sum ? At , si DEUS quamcunque
rem à se conditam in nihilum redigat ; sicut
nihil illi tunc eripit , quod suæ dexteræ effe-
ctus non sit ; sic nullum ei relinquit justè ex-
postulandi adversum se locum : nec alia ratio-
ne

ne opus habet, ad sui facti æquitatem tuendam; quàm ut ei dicat: quidquid habes, atque es, non tuum est opus, sed meum, nec ad tuum, sed ad meum spectat dominium. Si ergo nemini injuriam facit, qui pro arbitrato suo utitur rebus suo dominio subjectis quid injuriæ tibi infero, si, cum totum tuum esse domini mei sit, pro mea voluntate illutor? Et re ipsa in sacris Literis vix proferri alia divini super creata omnia domini solet causa, quàm, quòd DEUS illa è nihilo in lucem produxerit: uti colligitur tum ex illis Mardochei verbis, (*Esth c. 13.*) *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tua resistere voluntati: Tu fecisti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnipotens es. Tum ex illis libri Sapientia. Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? (c. 12.)*

12. Alter titulus, ratione cujus plenissimum DEO in res omnes creatas proprietatis jus convenit, est, quòd nulla earum acceptum ab illo esse, nè ad punctum quidem temporis retinere, nisi conservante, & sustinente illo, possit. Quemadmodum enim lapis, sive aliud corpus naturâ suâ grave, & ad ima propendens,

dens, neque ab humo erigi valet, neque ita erectum persistere, nisi vis, quæ illud in sublimè levavit, ibi etiam elevatum sustentet; sed ab ea derelictum suo statim pondere urgente, in terram relabitur; sic res etiam creatæ, neque ad esse prodeundi, neque in illo perdurandi vim habent, nisi æterni Conditoris manus in existentia, quam primò illis tribuit, assiduè conservare illas pergat: quàm conservatricem manum, si ea illis subtraheret, mox in nihilum fundum reciderent. Ad cuius veritatis comprobationem multa equidem possent sacrarum Literarum testimonia adduci. Posset Davidis ille versus, ubi acceptum DEO refert, non primum duntaxat suum esse, dicens ei: (Ps. 138.) *Tu formasti me; sed & continuationem ejusdem, addens illico: & posuisti super me manum tuam.* Posset ex Sapientiæ (c. 11. v. 26.) ubi ex DEO quæritur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Posset illud divini Verbi effatum (Joa. c. 5.) *Pater meus usque modo operatur:* Quo effato D. Augustinus, ad nostram divinæ conservationis indigentiam asserendam, utitur, scribens: (L. 4. de Gen. ad lit. c. 14.) *Creatoris namque potentia causa est subsistendi omni creaturæ, quæ ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret; si-*

T t

mul

mul & eorum species, omnisque natura considerent.
*Neque enim, veluti structuram ædium cum fabricaverit quis, abscedit, atque, illo cessante stat opus, ita mundus ictu oculi stare potest, si ei DEUS regimen suum subtraxerit. Proinde, cum Dominus ait, Pater meus usque modò operatur; continuatorem quamdam operis ejus, quæ universam creaturam continet, atque administrat, ostendit. Posset etiam locus ille ex libro Geneseos, ubi Deus dicitur die septimo quievisse (c. 2.) ab omni opere suo, quod creavit, ut faceret: quæ clausula, ut faceret, primo aspectu obscura, & redundans, non aliter explicari posse meliùs videtur; quàm si accipiatur pro rerum conservatione, quæ quasi nova, & continuata illarum effectio est: ita ut, dum DEUS dicitur creavisse mundum, ut eum faceret; perinde sit, ac si diceretur, illum creavisse, ut conservaret, nempe ut assiduè mox pergeret illum facere, creare, ac producere. Unde etiam in septuaginta interpretum versione, pro verbis suprà dictis, *Quod creavit DEUS, ut faceret,* legimus, quæ incæpit DEUS facere. Sed his omnibus, aliisque hujusmodi testimoniis relictis, sat in præsens mihi erit unum, alterumve Doctoris Gentium proferre: qui tum in epistola ad Hebræos docet, Conditorum o-*

mi-

mnum omnia item continere, ac tueri. (c. I.)
 Portat omnia verbo virtutis suæ: nempe (ut de-
 clarat D. Anselmus, vel secundum alios Erve-
 us) *Sursum tenet, ne decidant, & in nihilum re-
 vertantur*; tum Colossensibus scribens, divini
 Verbi esse affirmat, uti primam rerum produ-
 ctionem, sic & perpetuam deinde subsistenti-
 am. (c. I.) *Omnia per ipsum, & in ipso creata
 sunt, & omnia in ipso constant.* Subdit etiam
 hic supra dictus interpres: *Omnia in ipso con-
 stant, quia, sicut omnia creavit, sic omnia continet,
 ac regit. Omnia in ipso constant, quia omnia sunt
 intra ipsum, & ne in nihilum redeant, per eum
 consistunt.* Quapropter, cum hæc veritas tot
 divinis confirmetur oraculis, omnes Theolo-
 gos ad stipulatores habet: ne Durando quidem
 excepto, qui, licet adversus communem reli-
 quorum sententiam, neget, substantias crea-
 tas ad quamcunque suam operationem præ-
 senti Dei ope indigere. (Ap. Less de Perf Div. L. 10.
 c. 3.) profitetur nihilominus, hanc iis neces-
 sariam omnino esse, ut in existentia divinitus
 accepta permaneant. Imò tam per sese ma-
 nifestum id est, ut etiam profanis sapientibus
 cognitissimum fuerit: ceu Trismegisto, quem
 de universali rerum Conditore palàm prædi-
 cantem audivimus. (Pim. II.) *Si influxum su-*

um ille subtraxerit ; in mortem corrueat universa.
 Platonica Philosophia professores, teste Mar-
 filio Ficino, (*L. 2. Phil. Plat. c. 7.*) docebant,
 mundum à DEO indefinenter creari, nec ab
 eo minùs pendere, quàm umbram à corpore,
 & lucem à sole. Et jure optimo quidem: cum,
 secundum D. Chrysostrum, non minori vir-
 tute opus sit, ad conservandos, quàm ad pro-
 ducendos effectus. (*Hom. 2. in Ep. ad Hebr.*)
Non minus est continere mundum, quàm fecisse.
 Cujus veritatis quisque sibi esse locupletissi-
 mus erit testis, si conetur magni ponderis la-
 pidem ab humo sustollere, & sublatum ali-
 quamdiu retinere. Suo siquidem experimen-
 to condiscet; manibùsque ipsis quodammodo
 attrectabit, æquè laborandum sibi esse, ut eū
 pergat ità sustinere; ac laborandum fuerit, ut
 primò elevaret. Quid ergo hinc consequi-
 tur? consequitur, quòd, qui impos est attollen-
 di in sublime cujuspià oneris, impos quoque
 sit illius sustentandi; & qui rem aliquam è ni-
 hilo educere non valeat, neque valeat eandem
 extra nihilum retinere: ac proinde, cum nul-
 la res creata suum esse sibi possit tribuere, nul-
 lam quoque illud posse sibimet conservare:
Sicut nulli effectus (verba sunt Doctoris An-
 gelici I. p. qu. 104. a. 2. ad 2.) *prestari potest,*
 quòd

quod sit causa sui ipsius; ita etiam nulli effectui præstari potest, ut sit sui ipsius conservativus. Neque solum ex prædicta ratione sequitur, nullam rem posse suis viribus, sed neque solis alterius creatæ causæ viribus, in sua permanere existentia. Quemadmodum enim nulla est virtus creata, quæ possit vel substantias spirituales, vel primam corporum materiam è nihilo educere; sic nulla item est, quæ sive huic, sive illis extra nihilum conservandis par sit. Nihil proinde jam obstat, quin omni procul dubio concludamus, nullam posse vel corpoream, vel spiritualem substantiam; sine continua DEI operatione, vel ad temporis punctum persistere: sed necesse prorsus esse, ut earum quælibet, ceu Regius Psaltes DEO canit, si spectari ab eo desinat; instar aëris, unde sol discesserit, omni protinus luce destituatur, & in sui nihili tenebras recidat. (Ps. 108.) *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Quæ conclusio, cæteroqui per se ipsam firmissima, novo adhuc argumento firmius stabilitur: quæ, nisi vera esset, res creatæ à DEO minùs penderent, quàm earum aliquæ ab aliis creatis; putà lux à sole, & actus

vitales ab anima pendeant. Imò neque concipi, & explicari posset, quoniam modo earum nonnullæ, quæ nihil in mundo contrarium habent, ut Angeli, & materia, possent Dei virtute in nihilum redigi, quaque ratione quoad suam existentiam illius arbitrio subessent. Quapropter fieri non potest, quin idem hinc veniat, quod usu venire cernimus, quoties sigillum aliquod materiæ liquenti, puta aquæ, superponitur. Quemadmodum enim sigillum illud non diutiùs subjecto aquæ humori, effigiem sui imprimit; quàm quamdiu ei applicatum retinetur, & ut eo indè amoto, omnis imago in aqua evanescit; sic essentia divina prototypum totius esse creati, cum nequeat, ad nos procreandos, & suam in nobis exprimendam imaginem, alteri materiæ se applicare, quàm nihilo, materiæ nimirum, qua nil est fluxum magis, & minùs subsistens; nequam sanè potest imaginem ibi imprimere diutiùs mansuram, quàm ipsius ad rem adeò fluxam applicatio permanserit: ac proinde, quamdiu applicata ipsi hæserit. Quòd si vel ad punctum temporis indè abscedat, nihilum protinus ad informem suam meri nihili formam, & inanitatem revertitur, nè umbram quidem, aut vestigium tenuissimum servans
ima.

imaginis , quam antea sibi impressam gerebat.

13. Cùm itaque , ùt vidimus , nulla res possit per se ipsam in existentia sua permanere ; sed , quàm olim necessaria illi fuit DE I virtus , ut primò existeret ; tam necessaria sit pariter , ut pergat existere , adeò ut ea desinente rem aliquam sustinere ; illa res itidem in mundo ultra esse desineret : considerandum cuius relinquo , quàm plenè hoc etiam nomine excellentissima quævis substantia cælesti Domino sit subjecta , atque obnoxia : quando exmero illius nutu suum vel esse , vel non esse in singula pendet momenta : utpote Domini , *qui habet flatum nostrum in manu sua* : (Dan. c. 5.) nec , ad nos in nihilum redigendos , opus habet , seu terræ motibus , seu fulminibus , seu quavis actione , sed , quin hisce utatur instrumentis , satis habet cessare ab agendo , quo nihil cogitari potest expeditius , & promptius. (L. 2. Mach. 8.) *Qui potest universum mundum uno nutu delere. Parum est ; imò , qui potest universum mundum , etiam sinè ullo nutu delere.*

14. Postremò , etsi memorata duo nomina abessent , nec seu creati à DEO essemus , seu in singula quævis momenta indigeremus ab eodem conservari ; sufficeret ei nihilominus

ad plenissimum supra omnia, quæ creavit, proprietatis dominium, sola ratio ultimi finis. Quæ ratio & necessariò ipsi convenit, nec disjungi à perfectissima dominatione unquam potest. Necessariò ipsi eam convenire recta mundi constitutio evincit, qui certè nimium quàm inordinatus esset, nisi & universæ illius partes ad unitatem communis alicujus, ejusdemque ultimi finis redigerentur; & hic dignitate, ac præstantiâ naturæ super omnia, quorum finis est, emineret. Idque confirmatur aliorum quorumvis vel peculiarium finium exemplo. Comparando inter sese universas res sensibiles deprehendimus, inferiores quasvis naturas, præstantiorum gratiâ esse factas, nimirum accidentia propter substantias, plantas propter animalia, & bruta animalia propter hominem: ut mundi Conditor in ejus exordio sancivit, primos nostros parentes alloquens: (*Gen. c. 2.*) *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semet ipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli.* Unde colligitur, si etiam finita naturalis per-

perfectionis præstantia sufficit, ut aliqua ex rebus creatis alterius sit finis, multò magis DEO sufficere infinitam naturæ præstantiam, qua iis omnibus sinè ulla proportione antecellit, ut universalis & supremus rerum creaturarum sit finis: cùm nulla earum peculiari sua perfectione, & dignitate adeò emineat, quin, ipsi collata, multò despicabilior sit, quàm vel accidens præ substantia, vel abjectissima quæque inter substantias præ homine. Admissò jam, ceu admittendum necessariò est, DEUM esse omnium, quæ extra ipsum sunt, ultimum finem, dubitari minimè potest, quin eadem naturali jure sibi subjectissima habeat. Finis quippe dominatio in res gratiâ sui factas adeò est eximia, ut ipsius causæ effectricis in res à se productas dominationi antecellat: cùm hæc nunquam operetur, nisi, prout à fine directâ, ceu à primo suo motore, unicâque ratione, tribuendi hanc, vel illam suis effectibus formam. Unde quilibet eorum adeò intimè, & usquequaque fini suo subditus nascitur; ut eatenus solummodo in pretio esse queat, & meritum existendi habeat, quatenus ei famulatur, etsi idcirco ipsum deleri, atque absumi contingat. Cui rei declarandæ opportuna esse potest plenissima illa libertas, qua nos ani-

mantibus brutis in rem nostram utimur, sinè ullo earum incommodi, & laboris respectu, includendo caveis volucres, gravibus sarcinis onerando jumenta, bovésque non ad dura solum aratri ministeria cogendo, sed ad epularum quoque usum maectando. Etenim, si ad hanc libertatem justè exercendam, satis esse nobis causæ videtur, quòd eæ pecudes nostræ utilitatis gratiâ sint conditæ, quamvis cæteroque neque à nobis habeant, quod sunt, neque ad nos à natura referantur, quasi ad ultimum, & necessarium suum finem; quantò majorem causam DEO præbet liberrimè, & quomodocunque visum sibi fuerit, decernendi de nobis, cùm & ab ipso, tanquam ab universali rerum principio, & propter ipsum, veluti propter ultimum, & necessarium naturæ nostræ finem conditi simus? Præbet sanè tantam, ut posset pro jure suo nos cogere, ad vitam omnem, sinè ulla cæterarum sive occupationũ, sive remissionum cura, ante suas aras, inque continua sui adoratione exigendam: quin & nos cogere posset, ut infiliamus in pyras ardentes, ibique instar thuris pro ejus gloria sensim conflagremus: neque si hæc tam perpeffu aspera obsequia à nobis exigeret, justior nobis suppeteret ratio, eum inmitcm plus nio

mio & tyrannum vocandi ; quàm hædis , ac vitulis suppetat , iisdem nos querelis incessendi , dum explendæ famis gratiâ , eos jugulamus , atque in frustra concidimus . Quemadmodum enim in promptu nobis esset , si ab iis ità incusaremur , objectas criminationes refellere , admonendo eos , ut meminerint , ad nostram merè utilitatem natos se esse ; ità & potiori multò jure posset DEUS nobis , de nimia mandatorum duritia querentibus , respondere : Quid exoptulatis ? hæc vestræ naturæ conditio , hic usus vestri est . Non alia de causâ nati estis , imò neque nasci potuistis , nisi ut mihi , quidquid imperâssem , vestras vires , vestram operam , vos totos impenderetis . Cur mihi , vestro Conditori , & ultimo fini nefas sit , eo vobis pacto uti , quo æquum vos censetis animalibus reliquis uti , quanquam ea neque à vobis procreata sint , neque per necessariam naturæ ordinationem , sed per arbitriam meam benignitatem ad vestros usus directa ?

15. Tale igitur est proprietatis dominium , quod in universas res creatas DEO convenit , utpote supremo illarum omnium Authori , perpetuo conservatori , ac ultimo fini . Quorum titulorum per se quilibet , nedum
to-

tota simul eorum complexio multò illum pleniori jure nostri Dominum constituit; quàm quo, non dicam externæ cujusvis nostræ suppellectilis, sed etiam liberorum nostræ voluntatis actuum nos Domini simus. Quamobrem, his rite animadversis, docti & graves Theologi, ut Vasquez, Lessius, plurésque alii negant, posse illum cuiquam obligari verè nexu justitiæ: adeò ut, si fidissimum aliquem suorum servorum pactâ illi cælesti gloriâ fraudaret, non posset ea de causa propriè injustus vocari. Ut proinde id ab eo fieri, non injustitiæ respectu, sed infidelitatis sit impossibile, quæ sola cæteroqui factum illud commacularet, atque indignum DEO redderet. En duo argumenta ex perfectissimo illius dominatu desumpta. Primum est: quia, cum homo DEI propria res sit, sequitur, DEI quoque propriam rem esse omne bonum, & jus, quod homo acquisivit: quidquid enim servus acquirat, suo Domino censetur acquirere. Quemadmodum igitur, ratione plenissimi domini, quod DEUS super hominem obtinet, nil injusti patraret, si eum prorsus deleret; ità ratione paræ sui domini super jus ab homine acquisitum ad gloriam cælestem; nullius injustitiæ culpâ se obstringeret, si illud jus omni-

no aboleret. Et roboratur adhuc validius idem argumentum rei paris exemplo. Certum quidem est, posse DEUM, pro suprema sua autoritate, idque justè omne jus extinguere, quod ego acquisivi ad mercedem ab altero mihi homine, ratione alicujus mei operis, pactam, atque ità eum hominem solvere ab obligatione illius mihi mercedis reddendæ. Quidni igitur extinguere similiter queat jus ad gloriam cælestem, à me secundùm promissionem illius ipsi serviendo acquisitum, eoque sublato, suam quoque illius mihi tribuendæ, obligationem penitè tollere? Alterum argumentum est, quia nostri actus boni, quibus vita æterna promittitur, non minùs res DEI sunt, quàm nos ipsi, utpote à nobis justè ipsi debiti, & ab eo liberaliter nobis donati. Quare nulla pactio ità illum potest obstringere ad æternam nobis vitam pro iis tribuendam; ut, si hanc neget, injustitiæ mereatur culpari. Teste quidem S. Augustino, (Ep. 105. Enchir. c. 107. Serm. 16. de Verb. Ap.) *Cùm coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua: gratiam scilicet reddens pro gratia: neque ideo debitor factus est, aliquid à nobis accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo.* Similiter atque, si meus Princeps equum mihi suum ad tres di-

es

es commodaret, simul paciscens, ubi ego illum sibi elapso triduo restituam; millenis se aureis restitutionem ejusmodi remuneraturum: méque illi equum reddente, pecuniam pro illius redditione pactam solvere abnueret; contra fidelitatem quidem faceret, sed nullam tamen veræ propriæque justitiæ legem violaret: cùm illud pactum nihil aliud fuerit, quàm mera gratuiti doni promissio. Quando igitur DEUS nostram exigit servitutem, & hanc sibi præstantibus cælestem gloriam mercedis locò pollicetur; quemadmodum nihil exigit, nisi arctissimo sibi jure debitum, ità nihil pollicetur, nisi merissimum donum, quasi dicens: si vos justii erga me fueritis, liberalis ego adversus vos ero. Ideoque tale pactum iniens, nulli debitor fit, præterquam sibi, & fidelitati suæ; nec illud implens, ac servans, aliud facit, quàm quòd nostræ æquitati munificentiam suam respondeat. Quo in sensu cælestis gloria propriissimè appellari potest, quomodo eam D. Paulus appellavit, (2. ad Tim. c. 4.)

Corona justitiæ: præmium videlicet illi rependendum justitiæ, qua nos fungimur, nostram DEO exhibentes servitutem, ante quodvis pactum, & sinè ullo præmio ipsi debitam.

16. Comparemus jam, si libet, hoc supreme

mi Regnatoris dominium, quod hæcenus contemplati sumus, cum illo, cujus causâ adeò sibi placent, séque circumspiciunt, & humanam penè conditionem supergressos existimant Principes terreni. Incipiendo ab imperii amplitudine, divinum universas res creatas, seu rationales, seu mentis, ac sensûs expertes ditione sua comprehendit: adeò ut nihil usquam sit, nec esse possit, non ipsi subiectum: (Ps. 102.) *Regnum igitur omnibus dominabitur.* Eja itaque, adsint huc Alexandri, adsint Assveri, adsint Augusti Cæsares, cum Geographicis regionum sibi subditarum tabulis: agnoscéntque, quàm angustum præ divino eorum imperium fuerit: imperium, quod neque supra universum terræ orbem, aut supra omnes unius sæculi mortales se extendit: &, quamvis tanta illius fuisset amplitudo, ubinam tamen esset potestas in tantò majorem hominum, qui vel ante extiterant, vel extituri deinde erunt, numerum? Ubinam dominatus super Angelos, super cælos, elementa, tot pecudum, plantarúmque genera, & quascunque res alias, vitâ, atque sensu carentes? *O quàm ridiculi sunt* (sic iterum Seneca, iterúmque proclamet) *O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est illud, in quo navigatis,*
in

in quo bellatis, in quo regna disponitis. (Præf. L. 6. Nat. qu.)

17. Accedit huc, mortalibus Dominis nequaquam plenum, & omnimodum contingere jus etiam super exiguam eam hominum multitudinem, qui sub ditione sua sunt: cum neque eorum animos, & voluntates sibi valeant subicere, neque de ipsis eorundem corporibus pro suo arbitratu statuere: imò etiam ab iis sæpe possint, & quidem impune, utpote ipsorum vim fugâ eludentibus, sperni, atque offendi. At DEUS auctoritatem plenissimam obtinet decernendi, quidquid velit, de universis rebus creatis: (*Job. c. 9. & 11.*) *Si subverterit omnia, quis contradicet ei? vel quis dicere potest, cur ita facis?* Huic tantæ auctoritatis par accedit potentia refractarios, sibi que perduelles justis suppliciis, non viventes solum, sed & vitâ functos, non ad tempus duntaxat, sed in perpetuum coërcendi: adeò ut nulli liceat, seu fugæ, seu latebrarum præsidio ineluctabilem, & ubique præsentem illius vim evadere. Unde & Regius Vates ei canit, (*Ps. 75.*) *Tu terribilis es: & quis resistet tibi?* & impletur in prophetia Amos de suis hostibus loquitur, (*c. 9.*) *Si descenderint usque ad infernum: inde manus mea educet eos: & si ascenderint us-*
que

que ad cælum ; indè detraham eos. Neque solum in promptu habet sibi inobedientes inevitabili severitate ulcisci , sed insuperabili etiam efficacitate ad obsequium sui cogere : seu libertatem eis auferendo contra suas leges agendi ; seu hac etiam incolumi , suaviter eos adducendo , ut , quæ ipse vult , velint : secundum illud Salomonis effatum , (*Prov. c. 21.*) *Cor Regis in manu Domini : quocunque voluerit , inclinabit illud.* Quamobrem , ratione hujus tam universalis tum in animos , cum in corpora , & omnes eorum operationes , dominii , unus ipse revera , & in tota quidem mundi universitate , potestatem eam obtinet , quam futili gloriatione , neque ultra Ægypti regnum , Pharaos sibi attribuit , & Josepho impertitam voluit , dicens : (*Gen. c. 41.*) *Ego sum Pharaos. Absque tuo imperio non movebit quisquam manum , aut pedem in omni terra Ægypti.* Quæ ipsa à superbo Rege inaniter sibi vindicata potestatis amplitudo , vix exigua quædam illius particula est , quæ in res omnes creatas , & quoscunque earum actus DEO convenit. Cum sinè præsentis ejus arbitrio non modò nusquam pes moveri , aut manus queat ; sed neque aperiri oculus , vox depromi , reciprocari spiritus , palpitare cor , folium tremere , aut ullus fieri ,

U u vel

vel ex levissimis, maximéque ordinariis motibus, qui assiduè innumeri fiunt in toto orbe terrarum.

18. Accedit insuper, dominationem prædictam non extrinsecùs DEO accidere, sed esse penitùs in natura sua insitam: decus ipsum quoque pereximium, & secundùm animadversionem Joannis Chrysofomi, à Regio Prophetæ ipsi attributum, dum non alibi, quàm in ejus humeris principatùs sui basim constituit, dicens: (Ps. 44.) *Cujus principatus super humeros ejus.* Secùs ac in terrenis Principibus, qui eam ipsam, qua potiuntur, curtam adeò dominationem neutiquam à se ipsis habent, sed indè solùm, quia DEUS, primus & summus omnium Dominus, eam ipsis impertit: cui propterea, tanquam ejus administri, pergunt subesse, non minùs, quàm reliquum vulgus: & à quo, veluti per gratuitam concessionem eam acceperunt; sic nullo non temporis puncto eadem spoliari, si ità ipsi libeat, possunt. Cujus memorabile exemplum habemus, cùm in aliis quàm plurimis, tum in sumperi Nabuchodonosoris catastrophe, quando expertus re ipsa est, quòd vox de cælo allapsa ei denuntiàrat supplicium, (Dan. c. 7) *Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex, regnum tuum tran-*

transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua, donec scias, quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Quare & in pluribus sacrarum Literarum locis magnificus DEO tribuitur Domini dominantium titulus; (Deut. 10. & Apoc. 19.) & ipse apud Isaiam Cyrum Regem Persarum, qui primas suo ævo in terris partes gerebat, suum pastorem appellat, (c. 44.) *Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*: declarans his verbis, augustissimos quosque terrarum Dominos sua esse servitia, & inferioris quidem notæ, præregia, ut sic loquar, cælestium aulicorum cohorte, nimirum præ Angelis, qui famulari cum submissiione ad omnem nutum intenti, continenter illi adsunt: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* (Job. c. 9.)

19. Præterquam quod Reges terreni, ita suis populis præsent, ut opus simul habeant eorum ministerio, eorum pecuniâ, eorumque parendi voluntate. Ubi enim hi obsequi unanimiter detrectarent, omnis eorum exemplo deficeret, ceu adventitia, & aliunde pendens imperandi potestas. Quare, cum omnis indigentia servitutis genus sit, nequaquam omnino liberi, & merè Domini appellari me-

rentur : sed dominationem subjectioni permistam habent, iisdemque, quibus imperant, serviunt: coacti eos observare, molli brachio regere, néve ad iras, aut vim contra se iritentur, cavere. Imò, ceu sæpe magis Princeps populo, quàm populus Principe indiget; ità subjectior ipse populo dici potest, quàm subjectus, atque obnoxius ipsi populo sit. At non ità supremus *Rex Regum*, & *Dominus dominantium*, cui tum suo, tum creatæ totius universitatis nomine David proficitur, (*Pf. 15.*) *Dixi Domino, DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nam quæ si-ve hominum ratio, si-ve cælestium spirituum hierarchia gloriari coram eo potest, eique dicere: Fateor equidem, ô Domine! tuo me sub imperio esse, & ad famulandum tibi, & parendum omni jure obligari: sed & ipse fatearis, necesse est, meo te famulatu indigere, curandumque tibi esse, nè quam mihi, adversum te succensendi, & tuum imperium detrectandi occasionem præbeas? Apage, apage Thraonicas hujusmodi ampullas, quibus nihil ineptius, quâsque ille in Psalmo quadragesimo nono jam pridem explofit, Israëliticum populum, & totam in illo rerum creatarum universitatem, dignâ tanto principe orationis

ma-

gnificentia sic alloquens: *Audi populus meus, & loquar. DEUS, DEUS tuus ego sum. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis bircos. Quoniam meæ sunt omnes ferae silvarum, iumenta in montibus, & boves. Si esuriero; non dicam tibi. Meus est enim orbis terrarum, & plenitudo ejus. Quapropter, veluti ipse omnibus necessarius est, ac nemine indiget, ita dominium supra omnes, usquequaque perfectum, & à quavis servitute alienum obtinet. Eget servus bono tuo, (inquit S. Augustinus) ut pascas illum. Eges & tu bono servi, ut adjuvet te. Non es ergo verus Dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quaerit; & va nobis, si non eum quaeramus. (Tr. 8. in Ep. 70a.)*

20. Denique plurimum indè etiam supremus Regnator cæteris omnibus antecellit, quòd Regni ejus non erit finis: (Luc. c. I.) utpote quod, ab externis nullis causis, atque arbitrariis pendens, sed in ipsa illius essentia fundamentum, tamdiu duret, necesse est, quamdiu æterna illius vita durat. Cùm terreni è contrario principatus non nisi ad certum, & brevissimum tempus illis positum, possideantur, præterquam, quòd in assiduo versatur discrimine, dominationem suam vel per hostium

vim, vel per suorum proditionem amittendi, & à vicina saltè mortis necessitate eam procul dubio sibi eripiendam noverit. Atque hoc pacto Alexander Macedo, post tot victorias, tamque magnam orbis terrarum partem imperio suo adjectam, in ipso juventutis flore, *Decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur, & vocavit pueros suos, & divisit illis regnum suum, & regnavit Alexander duodecim annis, & mortuus est.* (*Mach. L. 2. c. 1.*) Audistine? duodecim annis. Et hoc regnare censendum est potius, quàm Regis personam in fabula præferre? certè, si non duodecim tantummodo annis, sed solido sæculo perrexisset Alexander in mundi theatro tam eximium Regnatoris insignia gestare, præ immortalis tamen *seculorum Rege*, multò minoris faciendus esset, quàm præ illo fieri mereatur Tragedorum quispiam, si quando eadem illa insignia ad tres, quatuorve horas in scenis ostendat. Cum inter paucas hujus horas, ejusque sæculum certa duntaxat, nec amplior temporis differentia intercedat: at inter regni sui sæculum, & divini æternitatem nulla reperiri queat inæqualitatis mensura, & proportio. Quapropter, ratione singularis excellentiæ, quæ tot ex capitibus diviniæ dominationi inter ceteras omnes

omnes convenit; Domini nomen, absolutè pronuntiatum, unius DEI proprium est, nec quemquam, præter illum, significandi vim habet: (*Amos c. 9.*) *Dominus nomen ejus.* Idque & ipsemet apertissimè declaravit, dum apud Isaiam, ter in eodem capite Domini titulum sibi uni, exclusis ab hoc jure cæteris omnibus, vendicat, (*c. 45.*) *Ego Dominus, & non est amplius: ego Dominus, & non est alter: ego Dominus, & non est alius;* & facto suo contestati sunt viginti illi quatuor coronati proceres, quos D. Joannes (*c. 4.*) in Apocalypsi vidit, detractas capiti suo, quas gestabant, aureas coronas, ante supremi Regnatoris solium obsequii ergo projicere: quasi profitentes, nemini, præterquam ipsi, congruere majestatis, & dominationis insignia: neque coram ipso quemquã pro principe haberi posse: sed omnes etiam hominum summos apparere ibi, quales revera sunt, illius famulos. (*Pf. 118.*) *Quoniam omnia serviunt tibi:* ceu ipse quoque professus tandem est impius Rex Antiochus, quando lethali plagã à DEO ictus, cæpit, ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire: & cum nec ipse jam fætorem suum ferre posset, itã ait: *Justum est subditum DEO esse, & mortalem non paria DEO sentire.* (*L. 2. Mach. c. 9.*)

21. Quæ cum ita se habeant, par mihi videtur esse, ut iustissimos tres affectus in illorum animis excitent, qui ea rite perceperint. Primus est, reverentia, animique submissio, quanta esse potest maxima, erga tam incomparabilem Dominum. Si enim terrenis principibus, ratione illius tenuissimi, extrinsecus iis superadditi, nec ultra paucos annos duraturi domini, quo inter hominum vulgus excellunt, tantum venerationis, & obsequii defertur; ut nemo ausit dicto ullo, factove eos offendere, omnes certatim studeant eorum gratiam aucupari, multique ad eorum colloquium admissi præ timore illius majestatis, potentiaque perturbentur animo, contremiscant corpore, vixque paucas voces, præpedito, ac deficiente spiritu, expromere valeant; quanto plus venerationis excitare in nostris animis debet, finitum omnem modum exuperans, altissimi, omnipotentis, æternique Regnatoris majestas? Quam reverentiâ quoque affici metu nos decet, quoties memoriâ repetimus, ubivis locorum coram ipso, imò etiam intrâ ipsum nos degere, immensâ undique circumvallatos illius magnitudine, gloriâ, & potentia? (*Jer. c. 5.*) *Audi popule stulte, qui non habes cor. Me ergo non timebitis? dicit*

Do-

Dominus. Verba illius sunt apud Jeremiam, in quibus cuinam dignè explicare, aut percipere miram emphasim liceat, magni illius monosyllabi *Me*? Ità *Me*, Regum Regem, & imperantium Imperatorem. *Me*, qui pro solio immensitatem habeo, pro sceptro omnipotentiam, pro diademate æternitatem, pro licitoribus fulmina, tempestates, pestilentias, terræ motus, diluvia, próque fontium, ac perduellium ergastulo flammeum tartari specum? *Me*, *cujus iræ nemo potest resistere: qui habeo flatum vestrum in manu mea, & universum mundum uno nutu possum delere?* *Me*, inquam, talem, ac tantum Principem, vos, nihili soboles, opus mearum manuum, terrestres mearum domus servitia, *non timebitis?* & usque eò *non timebitis*, ut pro nihilo habeatis palàm mihi obsequium denegare, præsentem, ac videntem contumeliis afficere, tamque contemptim mecum agere, ut cum nullo non dico Rege mortali, sed nec privato Domino, cui mercenariam exhibetis servitutem, agere sic audeatis? *Quidnam*, rogo, hisce illius exprobrationibus responderi potest? *Procul*, ó procul à nobis tanta temeritas, vecordiàque sit, ut eum ità negligere, & adversum nos irritare audeamus, quem pro infinita sua ma-

U u 5 gni-

gnitudine nunquam observare, ac revereri
 possumus satis: cuiusque tam profunda admi-
 ratione nos compleri æquum esset, ut, iux-
 ta Joannis Chrysostomi effatum, nè nomen
 quidem illius pronuntiari unquam à nobis, vel
 audiri sinè intimo quodam sacri horroris sen-
 su contingeret. (*Hom. 9. in Act.*) *Nonne hor-
 ror invadere nos deberet, cum DEUS nominatur?*
 deberet profectò: nisi minori in pretio apud
 nos esset verus, atque unicus DEUS, quam
 apud Socratem fictitii Ethnicorum Dii erant:
 de quibus eum Plato (*In Phileb.*) ità profiten-
 tem inducit: *Reverentia mihi semper erga Deo-
 rum nomina est, non humana quædam, sed maxi-
 mum quemque timorem exuperans.* Certè quan-
 tumvis extraordinaria, & singularis nostra ve-
 neratio sit, tantò semper infra meritum supre-
 mi illius domini erit, quantò major omni alià
 ipsius est potentia, & majestas. *Non est similis
 tui Domine. Magnus es tu, & magnum nomen tu-
 um in fortitudine. Quis non timebit te, ô Rex gen-
 tium?* (*Jer. c. 10.*)

22. Alter affectus, quem rite perpen-
 divinæ dominationis amplitudo, & præstan-
 tia excitare in nobis deberet, altissima est, sed
 perinde etiam jucunda admiratio incredibilis
 prorsus benignitatis. quam tantus ille Prin-
 ceps

ceps erga nos suos infimos vernulas exhibet. Quamvis enim naturæ excellentiâ immensum adeò supra nos emineat, nec minùs libere absolutèque uti nobis possit; quàm nos brutis animantibus, aliisque rebus nostris utamur, durissima quævis obsequia à nobis exigendo sinè ullo vel incommodi nostri respectu, vel servitutis sibi exhibitæ præmio; nihilominus, quasi oblitus supremi sui juris, ac dominii, filiorum potiùs, quàm mancipiorum locò nos habet: nihil nobis præscribens, nisi paucas quasdam, & facillimas leges, nec nisi moderatissimam à nobis exigens servitutem: quam ipsam non suæ, sed nostræ utilitatis gratiâ exigat, & si præstita fideliter fuerit, quasi gratuitum obsequium foret, non minori remuneratur, quàm sempiterni, & beatissimi sui regni mercede. Quid multa? non benignè duntaxat, & amantis Domini in morem nos regit, adeò ut ejus imperium, ceu de Romano scriptum est, *Patrocinium orbis terrarum verius, quàm imperium*, (Cic. 2. de Offic.) appellari queat; sed tanquam si pares conditione, & naturâ ipsi essemus, reverenter etiam, honorificèque nobiscum agit: quod ego utique, ceu aliquid humana fide majus, nunquam de illo dicere auderem, nisi in libro Sapientiæ (c. 12.)

12.) legerem : *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas , & cum magna reverentia disponis nos .* Ut proinde , cum non modò instrumentum , sed nec domesticum vas ullum penitiùs , ac plenius subjectum suo Domino sit , quàm nostrum esse illi subest , nullus tamen filiorum à patre suo amantiùs tractetur ; quàm nos ipse , sumus cæteroqui creatæ totius universitatis Dominus tractet . *Hæc dicit Dominus : ad ubera portabimini , & super genua blandientur vobis . Quomodo si cui mater blandiatur , ego consolabor vos . (Isai . c . 66 .)*

23. Atque hinc porrò tertius itè m confectus affectus debet , justa nimirum grati animi , mutuique erga talem Herum amoris vicissitudo : adeò ut , quantò ille parciùs , moderatiusque suo in nos summo jure utitur , tantò promptiores ad omnimodam illi exhibendam servitatem simus : indignissimum existimantes conqueri , tanquam si inclementiùs tractemur , quando ille , majoris nostri emolumentigratiâ , terrenorum nobis bonorum quidpiam subducit : nec audentes unquam , pro gravi sarcina habere pauca illa præcepta , quorum observatione nostram ille servitatem definiit . Nimis enim quàm absurdum , omnique à ratione alienum esset , si paterna tanti principis

in-

indulgentia, pro eo ut nos ad majorem obsequii alacritatem extimularet; non nisi ad fovendam in nobis arrogantiam, & segnitiam valeret. Ah veniat, quæso, veniat in mentem, quisnam ille, & qui contra nos sumus: neque metiendam putemus seu nostram illi subjectionem, seu illius supra nos potestatem paucis illis obsequiis, quæ ille, pro sua incomparabili benignitate, ac moderatione contentus est à nobis exigere: perinde quasi ul- lum esset obsequii genus, quin æquissimo jure & ab illo imperari posset, & persolvi à nobis deberet: sed habentes semper præ oculis plenissimam, quæ propria illius est, quidvis decernendi de nobis, auctoritatem, & arctissimam, qua nos devincimur, ei quavis in re serviendi obligationem, tanto nos Domino, ceu rem penitus suam offeramus, paratissimi, & exactissima cum sedulitate peragere, quidquid nobis præceperit; & omnimoda cum approbatione suscipere, quidquid de nobis staturit. Præsertim quòd, præter notitiam absolutissimæ illius dominationis, compertum itè habemus, quàm parcè suam ille potestatem exercent, quàm indulgenter nostræ imbecillitati se attemperet, quàmque paterno animo, quæcunque agit, & jubet, ad nostram

di-

dirigat utilitatem. Cujus voluntariæ deditio-
 nis incitamentum nobis juxta atque exem-
 plum esse potest illa, quam Nabuchodonosor
 armorum terrore à Mesopotamiæ, Syriæ, &
 Ciliciæ populis extorfisse olim fertur: quan-
 do hi nempe, ad Holofernem supremum il-
 lius copiarum ducem profecti, (*Judith c. 3.*)
 dixerunt: *Desinat indignatio tua circa nos. Me-
 lius est enim, ut viventes serviamus Nabuchodone-
 sor Regi magno, quàm morientes cum interitu no-
 stro ipsi servitutis nostræ damna patiamur. Omnis
 civitas nostra, omnisquæ possessio nostra, omnes
 montes, colles, & campi, & armenta boum, gre-
 gēsque ovium, & caprarum, equorūque, & ca-
 melorum, & universæ facultates nostræ, atque fa-
 milia in conspectu tuo sunt. Sint omnia nostra sub
 lege tua. Nos, & filii nostri servi tui sumus. Ve-
 ni nobis pacificus Dominus, & utere servitio nostro,
 sicut placuerit tibi. Si enim ii populi plene a-
 deò se, ac sua omnia externo, immanique ob-
 tulerunt tyranno, cui nullo jure quidquam
 debebant, & à quo nil remunerationis expe-
 ctabant, indè solùm permoti, quòd scirent,
 quidquid ei ultro non concessissent, per vim
 & crudelitatem ereptum sibi ab eo iri; quantò
 validior nobis suppetit ratio, nos, & nostra
 omnia DEO mancipandi, qui, præterquam
 quòd*

quòd longè majorem terreno quovis Rege
 vim habet debellandi, subigendique eos, qui
 voluntati suæ obfistant; verus etiam ille est, ac
 legitimus Princeps, in cujus servitutum natu-
 ra nos genuit: ex cujus gratuita liberalitate ac-
 cepimus, & cui summo jure debemus, quid-
 quid possidemus, ac sumus: quippe, non
 suæ illius, sed nostræ solummodo utilitatis
 causâ, vult nos sibi habere subjectos. *Ab me-
 lius, melius est, ut viventes serviamus DEO Regi
 magno, quàm morientes cum interitu nostro ipsi
 servitutis nostræ damna patiamur: dicamúsque
 illi, quod à populis illis dictum Holoferni est,
 sed tantò libentiùs, magis que ex animo, quan-
 tò dignior ille est, cui hæc dicantur: Omnis ci-
 vitas nostra, omnis que possessio, & universæ facul-
 tates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt. Sint
 omnia nostra sub lege tua: Nos, & filii nostri ser-
 vi tui sumus. Veni nobis pacificus Dominus,
 & utere servitio nostro, sicut placuerit
 tibi.*



C A.